

terit, et si aduersario spiritu fuerit non utiq; aduersarius enim spiritus ex diuersitate prædicationis apparet, primo regulam adulterans fidei & ita ordinem adulterans disciplinæ: quia cuius gradus prior est, eius corruptela antecedit, id est fidei, quæ prior est disciplina. ante quis de deo hæreticus sit necesse stet, tunc de instituto. Paracletus autem multa habens edocere quæ in illum distulit dominus: secū dū præfinitionem, ipsum primo CHRISTVM contestabitur, qualem credimus, cum toto ordine dei creatoris, & ipsum glorificabit & de ipso commemorabit: & sic de principali regula illa, multa quæ sunt disciplinarum reuelabit, fidem dicente pro eis integritate prædicationis, nouis, quia nunc reuelantur: licet onerosis, quia nec nunc sustinentur, nõ alterius tamen CHRISTI quàm qui habere se dixit, & alia multa quæ à paracleto edocerentur: non minus istis onerosa quàm illis à quibus non dum tunc sustinebantur. Sed onerosam monogamiam uiderit adhuc impudens infirmitas carnis. an autem noua, de hoc interim constet. Illud enim amplius dicimus, etiam si totam & solidam uirginitatem siue continentiam paracletus hodie determinasset, ut ne unis quidem nuptijs feruorem carnis de spiritu manare permetteret, sic quoque nihil noui inducere uideretur, ipso domino spadonibus aperiente regna cælorum: ut & ipso spadone quem spectasset Apostolus, propterea & ipse castratus continentiam mauult, sed saluo inquis iure nubendi. planè saluo. & uidebimus quousque. Nihilominus tamen ex ea parte destructo qua continentiam præfert: bonum, inquit, homini mulierem non contingere. Nihil enim bono contrarium nisi malum. ideòque superesse ut & qui habeant uxores sic sint quasi non habentes: quo magis qui non habent habere non debeant. reddit etiam causas cur ita suadeat, quod innupti de deo cogitent: nupti uero quomodo in matrimonio quis suo placeat. Et possum contendere non mere bonum esse quod permittitur. Quod enim mere bonum est, non permittitur, sed ultro licet. Permissio habet causam aliquando, & necessitas. Denique in hac specie non est uoluntas permittentis nubere. Aliud enim uult, Volo uos, inquit, omnes sic esse quomodo & ego. & cum ostendit melius esse quod utique se uelle confirmat, quàm quod melius esse præmisit. & ita si aliud quàm quod uoluit permittit, non uoluntate, sed necessitate permittens, nõ mere bonum ostendit, quod inuitus indulgit. Deniq; cum dicit melius est nubere quàm uri, quare id bonum intellegendum quod melius est, & pœna quod non potest uideri melius nisi pessimo comparatū. Bonum illud est quod per se hoc nomē tenet, sine cōparatione nõ dico mali, sed etiã boni alterius: ut & si alio bono comparatum adumbretur, remaneat nihilominus in boni nomine. Caterum si per mali cogitationem cogitur bonum dici, non tam bonum est quàm genus mali inferioris, quod ab altiore malo obscuratum ad nomen boni impellitur. Aufer deniq; conditionem ut dicas melius est nubere, quàm uri, & quæro an dicere audeas, melius nubere, non adijciens